



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Morib. Ignatii Loiolæ, Qvi Societatem Iesv
Fvndavit, Libri III**

Maffei, Giovanni Pietro

Dvaci, 1585

Variæ in Jgnatium tempestates excitantur. Cap. XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44004

partim cum summo Pontifice, Cardinalibus, legatisq. Principum coram, partim etiam cum ipsis Regibus atque Principibus per epistolas & interpretes agere. Accedebat ad hæc, sollicitudo ingens, atq. indefessus labor in subleuandis pauperum difficultatibus; orbium orbarumq. educatione ac pudicitia procuranda ruendaque, & perditis mulierculis à turpi quæstu ad frugem & continentiam traducendis.

Varie in Ignatium tempestates excitantur.

CAP. XVI.

VIBVS ille rebus dum Christi causam agit intrepide, multorū vt fit, odia simulatasq. contraxit. In ijs aulicus quidam (cuius nomini parcitur) eo tempore potens & graciosus, cum abductam à se mulierculam, quam misere deperibat, & in male nuptarum, vt appellant, cœnobio collocatam ferre non posset; sæuiore in dies concepta rabie, quam libido & amor incendebat, ita demum exarsit, vt pæne furere videretur. Ac primum, facta manu, fenestras cœnobij lapidibus petere, custodes infestare, minari: deinde in Ignatium auctorem, & socios, in circulis cœtibusq. omnia maledicta conferre, quin etiam ex occurso probris & contumelijs eosdem incessere; deniq. ad eos funditus euertendos, improbissimas in ipsorum vitam calumnias dissipare; quæ domos primum nobilium circumlatæ, celebratæq. sermonibus (quos partim prona in deterius persuasio, partim vāsani illius artificium dolorq. excitabat) ad Cardinales etiam, atq. adeo ad ipsum Pontificem peruenerunt.

Igitur

Igitur vulgus, vt est pluma & folio leuius, quos nuper summa cum approbatione suspexerat, eosdem repente contemnere, & acerbiorē in dies odio execrari, & singulorum caput dira imprecatione defigere; prorsus vt iam non modo cum proximis agere, sed ne pedem quidem ianua tuto efferre possent. Principes vero, licet magna ex parte fictas criminationes putarent, tamen rati subesse profecto nescio quid, quod tantæ inuidiæ flammam foueret; vel immutata, vel certe labefactata in Ignatium voluntate videbantur. At Ignatius, quamuis à sua suorumque consuetudine multos abduci non sine rei Christianæ iactura cerneret; tamen ratus mitigari hominis ferociam posse, primo rem dissimulare, atque adeo officijs cum improbitate certare: deinde vbi malum serpere quotidie latius, & ipsa patientia corroborari audaciam sensit; non tam priuato dolore, quàm rei publicæ detrimēto permotus, ad Summum Pōtificem adiit, ab eoq. suppliciter impetrauit, vt criminum, quæ sibi suisq. denuo obijcerentur, acre iudicium exerceretur ab Archinto Vicario, & Francisco Michaëlio Urbis præfecto. Ij, citatis omnibus ad quos criminum vel suspicio vel conscientia pertinebat, ac per diligentem inquisitionem calumniatoris fraude comperta, Ignatium & socios non modo absoluerunt lata sententia, sed etiam debitis laudibus & honore verborum extulerūt, increpito valde aduersario, pœnaq. proposita non leui, nisi à petulantia maledictisq. desisteret. nam, ne grauius in eum animaduerneretur, Ignatio in primis deprecatore perfectum est. ita, quod antea semper, tum quoque Ignatij sanctitatem illustrauit hominum iniuria, & Deo duce, virtus ac veritas, dum violatur, effulsit.

fulsit. Iisdem fere insidijs postmodũ appetitus Ignatius est à sacerdote quodam, qui cum domum catechumenorum administraret, ferre nõ poterat in ea regenda familia maiorem à loci præsidibus Ignatij rationem haberi, quam sui. Sed miser, Ignatio silente ac pro eodem orante, breui perfidiæ pœnas dedit, atrocibus enim antea vitæ sceleribus iusto Dei iudicio patefactis, quæ ad eam vsque diem astute suppresserat; sacerdotio spoliatus, & perpetuo carceri addictus est.

Regimen feminarum à Societate depellit
Ignatius. CAP. XVII.

INTEREA Elisabetha Rosella Barcinonensis, quæ Ignatij prima litterarum studia fouerat, Societatis IESV coalitæ & cõfirmatæ fama cõmota, Romam ex Hispania contulit sese, partim vt Ignatium lōgo interuallo reuideret; partim etiam vt vna cū quibusdam alijs pijs feminis ad normã illius atq; præscriptum ageret vitam. Atq; Ignatius quidem, sospitẽ aduentum mulieri de se optime meritæ gratulatus est, & omnia officia detulit quæ saluo religionis instituto præstare posset: curã vero feminarum suscipere sese negauit posse, plurimis grauissimisq; occupationibus impeditũ. At illa nihilominus instare; sanctissima veteris amicitia iura testari; postulati æquitatẽ obtendere; deniq; vbi magis magisque obfirmatũ vidit Ignatium, ad aulicas confugit artes. atq; vt erat nobili nata loco, per viros principes facile tenuit vt Pontifex maximus Ignatio munus id ipsum quod recusabat, iniungeret. Sed ea res
 magnum